



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Qua ratione clericis agendum sit cum principibus, & subditis. Cap. XXXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

simi, vsum diuitiarum ignorantes, ad administrationem familia succedant ij, qui tutoribus egerent; quidam habitent ruri, qui ad danda consilia, & ad regendos alios essent aptissimi. Qua de re agens, splendidis verbis demonstrabit, Deum paterno imperio regere hunc mundū; in eius sapientia et paterna gubernatione acquiescēdum: omnes dici posse reges, si seipsos nouerint regere; omnes potentes, quia diuina gratia adiuti, possunt in sanctis virtutibus proficere; omnes nobiles, quia ad imaginem & similitudinem Dei effecti, fratres Christi, eius preciosissimo sanguine redempti, ad caelestem hereditatem sunt vocati; omnes diuites, quia participes diuitiarum, & thesaurorum suorum fecit nos Christus caeli et terra rex, & bonorum omnium Dominus.

Qua ratione clericis agendum sit cum principibus, & subditis.

Cap. XXXVIII.

**A**D MODVM raro, & fortassè nunquam clerici, quibus scribimus, coram regibus & principibus sermonem habebunt. Si quando verò id illis accideret, eos monemus, vt turpissimum adulationis vitium vitent: coram Regem non laudent, neque principes; id enim non decet ministros Christi; nec etiam in magna populi frequentia audebunt ipsi eos reprehendere, non quidem villo metu, aut vlla spe, sed nè mouere seditionem videantur, & populi auram aucupari. Si inciderit locus, explicans aliquod euangelium, aut epistolam B. Pauli, regias virtutes proponat, religionem, iustitiam, clementiam, fortitudinem, temperantiam, paterno amore subditos complecti,

plecti, regium esse; populorum commoda spectare, nō sua, homines imaginem Dei gerētes in terris, exemplo & auctoritate, premio & pœna regere, subditos ad veras virtutes, ad caelestem patriam dirigere, seipsum in magna potestate vincere, esse virtutem heroicam, quam regibus necessariam sapientes viri putarunt. Quæcūm breuiter & dilucidè temperato quodam genere dicendi vtens, dixerit; populi benè instituti esse, pluribus verbis docebit, amare regem, aut principes suos, eorum consilia semper in meliorem partem interpretari, legibus obtemperare, consilio, opibus, quantum neceſse est, alacriter eos iuuare.

Quo modo commouendi sint rerum publicarum administratores.

Cap. XXXIX.

**I**NTER auditores verbi Dei, plerunq; in rebus publicis adsunt multi, qui rem publicam administrāt; cum quibus multo liberius agendum est, cū ipsi non semper prasint reipub. vt perniciosum sit, ipsos in vllam suspitionem improbitatis adducere. Excitādi sunt hi ad politicas virtutes, sed maximè ad veritatem amādam, ad ineptas & malitiosas quasdam blanditias vitandas: & ad eos sermonem conuertens orator sapè, vt fecit B. Chrysostomus, cū ad Antiochenos concionaretur, disserat de vitando iuramento; cū in rebuspu. sapiſsimè ad conciliandā sibi omnium, etiam improborum, beneuolētiam, mendacijs, & periurijs ciues in hominum animos illabantur. Excitandi sunt etiā maximè ad anteponenda publica commoda suis; matrem esse communem rempu. alumnā pacis,